Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

nete eas. et si consenserint ad sacri-
ficandum, cum honore eas adduci-
te ad me, ut remunerem illas censu
dignissimo. Si autem videritis eas
animo pertinaci obsistere, et nulla
racione ad sacrificandum prebere con-
sensum, implete memoriam cremis
et siccis spinis, et claudite ipsas in me-
moriam, et ita demum ignem subponite
ut nulla ex eis evadat. Euntes
autem milites, prius blando ser-
mone eas provocabant. Post hec
terroribus impellebant. At ubi vi-
debant omnes simul contempnere sacri-
ficia, repleverunt memoriam sarmen-
tis et siccis spinis et clauserunt super
eas, et subposito igne abierunt.
Sicque factum est, ut eadem die qua-
do sepulta est Afra, etiam sorores
in Christo digna, Eunomia, Eutropia
simul martirii coronam acciperent.
Et que simul unanimes Christum Ihesum
crediderunt, ad eum cum palma mar-
tirii pariter pervenirent.

C vi Idus Augusti.

Passio sancti Cyriaci martiris et sociorum eius.

Tempore Dio-
cleciani imperatoris
beatus Ciriacus ro-
mane ecclesie diaconus
dum diu in custodia
fuisset, et iam de eo oblivio erat fac-
ta, multi pergebant ad eum in custodiam
christiani, et ceci illuminabantur, et in-
firmi salvi fiebant a languoribus
suis. Cepit urgeri Arthemia a de-
monio filia Diocleciani. Hoc cum
nunciatum fuisset Diocleciano au-
gusto, intravit ad eam in cubiculum.
Et ecce ipse demon cepit clamare
per Arthemiam presente Diocleciano dicens.
Nisi venerit Cyriacus diaconus non exibo.
Tunc misit Diocletianus ad eum in custo-
diam ubi erat clausus et constrictus
cum Largo et Smaragdo, et eiecit de cu-
stodia. Et cum presentatus fuisset Dio-
cleciano augusto, cepit rogare eum
ut intraret ad filiam eius. Et dum in-
troisset ad eam, dixit Cyriacus. In
nomine domini mei Ihesu Christi precipio tibi
ut exeas ab ea demon. Respondit demon
per os Arthemie. Si vis ut exeam,
da mihi vas ubi ingrediar. Dixit ei
Cyriacus. Si potes ecce corpus meum
ingredere. Respondit diabolus per os Arthe-
mie. Vas tuum non possum introire, quia
undique clausum et signatum est. Dixit
ei Cyriacus. In nomine domini nostri Ihesu Christi
crucifixi exi, ut fiat vas mundum
ad superveniendum spiritui sancto. Et dixit
ad Arthemiam. Filia crede in deum
patrem omnipotentem et in Ihesum Christum filium
eius unicum dominum nostrum. Tunc diabo-
lus exclamavit dicens. O Cyriace
si hinc me eicis, in Persidam te faciam
venire. Dixit ad eum Cyriacus. In nomine
domini nostri Ihesu Christi exi. Tunc clamabat
Arthemia per ipsum nomen, quia video de
longe dominum quem tu predicas beate Cyria-
ce. Tunc tenentes manum eius beatus
Largus et Smaragdus levaverunt eam.
Alia autem die secundum consuetudinem
cathezizavit eam, et allata aqua
benedixit sanctus Cyriacus et baptizavit eam
presente matre sua Serena augusta.
Ab eodem die dicebat Serena filie
sue ut fideliter amaret religionem
christianam.

Post menses vero
decem et annos duos explica-
ta fabrica thermarum cum gloria
cepit Diocletianus augustus habere

cyriaci